

236 *Quomodo se Deus revelet* CAP. 31.
clarificato corpori Christi Jesu adeo similia sint effecta. Quo pertinet quod Daniel. 12. legitur de sanctis: *Fulgebunt quasi splendor firmamenti: & quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Et cum Psal. 194. dicatur Deum lumine esse amictum, sequitur etiam nobis lucem & claritatem pro veste futuram.

CAPUT XXXI.

QUOMODO DEUS ANIMÆ DEVOTÆ SE REVELET UT IMMENSAM OMNIPOTENTIAM.

Psalm. 29. *Domine Deus virtutum,
quis similis tibi? potens es Domi-
ne, & veritas tua in circuitu tuo.*

Deus ex amore sua bona nobis dat, ut nos vi- cissim il- la aliis ex amo- re de- mus. **C**haritatis Dei proprium est omnibus hominibus, nullo discrimine amicitiae aut inimicitiae, benefacere; idq; non compendij aut honoris proprij causa, sed propter amorem divinum, qui infinitam Dei omnipotentiam impulit, vt ad nos descenderet, & ut ex thesauris suis inexhaustis omnia largiatur, quo nos similiter ex simpli ci amore Deo reddamus, quæcunq; illi⁹ charitas ex omnipotentiæ suæ thesauro nobis comunicavit. *Quocirca
cave, ô homo, ne quicquam tibi arro- ges,*